



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S. Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

Cap. III. Partitio Historiæ Naturalis secunda, ex usu & Fine suo, in Narrativam, & Inductivam; Quodque Finis nobilissimus Historiæ Naturalis sit, ut ministret, & in ordine sit, ad condendam ...

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

vitium, merito irrisit Plato, quando Hippium Sophistam jactabundum inducit cum Socrate disputantem, sincero & solido veritatis investigatore: Qui, cum de pulchritudine sermo institutus esset, pro vago suo & soluto disputandi more, primum intulit exemplum virginis pulchræ, dein equæ pulchræ, postremo ollæ fictilis pulchræ, & affabre factæ: Hoc ultimo exemplo Hippias commotus, dixit: *Stomacharer certe, (nisi humanitatis ratio me eo adigeret,) cum quoquam disputare, qui exempla tam vilia & sordida allegaret.* Cui Socrates, *Te quidem ita decet, cum tam nitidus sis amictus vestibus, & pulchris calcæis; & alia per Ironiam.* Enimvero, illud pro certo afferi possit, grandia exempla haud optimam aut tutissimam afferre informationem. Id quod exprimitur non infulse in pervulgata illa fabula de Philosopho; qui cum stellas sublatis oculis inrueretur, incidit in aquam: Nam si oculos demisisset, stellas illico in aqua videre potuisset: verum suspiciens in cælum, aquam in stellis videre non potuit. Eodem modo sæpe accidit, ut res minuræ & humiles, plus conferant ad notitiam grandium, quam grandes ad notitiam minutarum. Bene siquidem notavit Aristoteles, *Cujusque rei naturam in portionibus ejus minimis optime cerni.* Quam ob causam, Reip. naturam perscrutatur primo in familia, & in simplicissimis combinationibus societatis, (mariti scilicet & uxoris, parentum & liberorum, Domini & Servi,) quæ in quolibet tuguriolo occurrunt. Simili plane ratione natura hujusce magnæ civitatis, (universitatis nimirum rerum,) ejusque dispensatio, in prima quæque symbolizatione, & minimis rerum portionibus, investiganda est: ut fieri videmus, quod secretum illud naturæ (habitum pro maximo,) de verticitate ferri, tactu magnetis exciri ad polos, se conspiciendum præbuit, non in vectibus ferreis, sed in acubus.

Ego vero, si quod sit mei pondus judicii, sic plane statuo; *Historia Mechanica* usum erga Philosophiam naturalem, esse maxime radicalem, & fundamentalem. Talem intelligo Philosophiam naturalem, quæ non abeat in fumos speculationum subtilium, aut sublimium; sed quæ efficaciter operetur, ad sublevanda vitæ humanæ incommoda. Neque enim ad præsens tantum juvabit, nec te ad & transferendo observationes artis in usum aliarum, & inde novas commoditates eliciendo; quod necesse est fieri, cum experimenta diversarum artium in unius hominis observationem & considerationem venient, sed porro ad causas indagandas, & artium Axiomata deducenda, lucidiorem faciem accendet, quam hæcenus unquam affulsit. Quemadmodum enim ingenium alicujus haud bene notis, aut probatis, nisi eum irritaveris; neque, Protens se in varias rerum facies veterere solitus est, nisi manicis arte comprehensus; similiter etiam natura arte irritata, & vexata, se clarius prodit, quam cum sibi libere permittitur.

Antequam vero hoc membrum historię naturalis (quod mechanicum atque experimentale vocamus) demittamus, illud adjiendum; Corpus talis historię, non solum ex artibus ipsis mechanicis, verum & ex operativa parte scientiarum liberalium, ac simul ex Practicis compluribus (quæ

in artem non coalescerent) confici debere, ut nihil utile prætermittatur, quod ad informandum intellectum juvat. Atque hæc est *historia naturalis* partitio prima.

## CAP. III.

*Partitio Historię Naturalis Secunda, ex Usu & Fine suo, in Narrativam, & Inductivam. Quodque Finis nobilissimus Historię Naturalis sit, ut ministret & in Ordine sit ad condendam Philosophiam, quem Finem intuetur Inductiva. Partitio Historię Generationum in Historiam Cælestium: Historiam Meteororum: Historiam Globi Terræ & Maris: Historiam Massarum sive Collegiorum Majorum; & Historiam Specierum sive Collegiorum Minorum.*

*Historia Naturalis, ut Subiecto triplex (quemadmodum diximus) ita Usu duplex est: Adhibetur enim, aut propter Cognitionem rerum ipsarum, quæ historię mandantur; aut tanquam Materia prima Philosophię. Atque prior illa, quæ aut Narrationum jucunditate delectat, aut Experimentorum usu juvat, atque hujusmodi voluptatis aut fructus gratia quaerita est, longe inferioris notæ censenda: præ ea, quæ Inductionis veræ & legitime sylva sit, atque suppellex, & primam Philosophię mammam præbeat. Rursus itaque partim ut historiam naturalem, in Narrativam, & Inductivam: Hanc autem posteriorem inter Desiderata ponimus. Neque vero alicuius mentis perstringant, aut magna antiquorum nomina, aut magna recentium volumina. Satis enim scimus, haberi historiam naturalem mole amplam, varietate gratam, diligentia sæpius curiosam. Attamen si quis ex ea fabulas, & antiquitatem, & auctorum citationes, & inanes controversias, Philologiam denique, & ornamenta eximat, (quæ ad Convivales sermones, hominumque doctorum noctes, potius quam ad instituendam Philosophiam sunt accommodata,) ad nil magni res recidet. Longe autem profecto abest ab ea historia, quam animo metimur. Primo enim desiderantur duæ illæ historię naturalis partes, (de quibus modo diximus) Præter-Generationum, & Artium, in quibus nos plurimum ponimus: Deinde, in tertia illa (quæ reliqua est) parte generali, nimirum de Generationibus, uni tantum, ex quinque partibus ejus, satisfacit. Siquidem *Historia Generationum* constituntur partes subordinatæ quinque: Prima *Cælestium*, quæ Phænomena ipsa sincera complectitur, atque separata à dogmatibus; Secunda *Meteororum* (annumerando etiam Cometas) & *Regionum*, quas vocant, *Aeris*; Neque enim de Cometis, Meteoris ignitis, Ventis, Pluviis, Tempestatibus, & reliquis, invenitur aliqua Historia, quæ ullius sit pretii. Tertia *Terræ & Maris*, (quatenus sunt Universi Partes Integrales) montium, Fluminum, Æstuum, Arenarum, Sylvarum, Insularum, denique Figuræ ipsius Continentium prout exporriguntur; in his omnibus, potius Naturalia inquirendo & observando, quàm Cosmographica. Quarto, de *Massis Materia communibus*, quas *Collegia Majora* vocamus.) vulgo *Elementa* dicuntur.) Neque enim de Igne, Aëre, Aqua, Terra, eorumque Naturis, Motibus, Operibus, Impressionibus, Narrationibus reperuntur, quæ corpus aliquod Historię justò constituent. Quinta, & ultima, de *Collegiis sive Materia ex-**

*quisiti*

quisitio, quæ à nobis *Collegia minoræ*, vulgo *Species* appellantur. In hac autem postrema sola, industria Scriptorum enititur, ita tamen, ut potius luxuriata sit in superfluis, (Iconibus Animalium, aut Plantarum, & similibus intumescens) quam solidis & diligentibus observationibus ditata, quæ ubique in *Historia Naturali* subnecti debebant. Atque, ut verbo dicam, omnis, quam habemus, Naturalis *Historia*, tam inquisitione sua, quam congerie, nullo modo in ordine ad eum quem diximus finem [cõdendæ scilicet *Philosophiæ*] præparata est. Quare *Historiam induktivam* desiderari pronunciamus. Atque de *Naturali Historia* hæc tenentur.

## CAP. IV.

Partitio *Historiæ Civilis*, in *Ecclesiasticam*, *Literariam*, & (quæ *Generis nomen retinet*) *Civilem*: quodque *Historia Literaria* desideretur. *Ejus conscribenda Præcepta*.

**H**istoriam *Civilem* in tres species recte dividimus: Primo *Sacram*, sive *Ecclesiasticam*: deinde eam, quæ *Generis nomen retinet*, *Civilem*: Postremo *Literarum & Artium*. Ordinem autem ab ea specie, quam postremo posuimus, quia reliquæ duæ habentur, illam autem inter *Desideratæ* referre visum est. Ea est *Historia Literarum*. Atque certe *Historia Mundi*, si hac parte fuerit destituta, non ab similibus censeri possit *Statua Poliphemi*, eruto oculo, cum ea pars imaginis desit, quæ ingenium & indolem Personæ maxime referat. Hanc licet desiderari statuamus, nos nihilominus minime fugit, in *Scientiis particularibus* Jure consultorum, Mathematicorum, Rhetorum, Philosophorum, haberi levem aliquam mentionem, aut narrationes quasdam jejunas, de *Sectis*, *Scholis*, *Libris*, *Auctoribus*, & *Successionibus* hujusmodi *Scientiarum*: Inveniri etiam de *rebus & Artium Inventoribus* tractat aliquos exiles, & infructuosos. At tamen justam atque universalem *Litterarum Historiam* nullam adhuc editam asserimus. *Ejus itaque & Argumentum*, & conscribendi Modum, & *Uiam* proponemus.

*Argumentum* non aliud est, quam ut ex omni *Memoria* repetatur, quæ *Doctrinæ Artes*, quibus *Mundi ætatis* & *Regionibus* floruerint. *Earum Antiquitates*, progressus, etiam peragrations per diversas *Orbis partes* (migrant enim *Sciëntiæ*, non secus ac *populi*) rursus declinationes, obliuiones, instaurationes comemorentur. *Observetur simul per singulas Artes*, *inventionis occasio* & *origo*, *tradendi mos* & *disciplina*, *colendi* & *exercendi ratio* & *instituta*. *Adjiciantur etiam Sectæ*, & *Controversiæ* maxime celebres, quæ *hominibus doctis tenuerunt*, *Calumniæ*, quibus *patuerunt*, *Laudes* & *honores* quibus decoratæ sunt. *Notentur Auctores præcipui*, *libri præstantiores*, *Scholæ*, *Successiones*, *Academiæ*, *Societates*, *Collegia*, *Ordines*, denique omnia quæ ad *Statum Literarum* spectant. *Ante omnia etiam id agi volumus* (quod *Civilis Historiæ decus est*, & quasi *anima*) ut cum *eventis causæ* copulerentur: videlicet, ut *memorentur Naturæ regionum ac populorum*, *Indolesque apta & habilis*, aut *inepta & inhabilis ad disciplinas diversas*; *Accidentia temporum*, quæ *Scientiis adversa fuerint* aut *propitia*, *Zeli & mixtura Religionum*; *Maliæ & favores Legum*, *Virtutes denique insignes*, & *efficacia quorundam virorum*, erga *litteras promovendas*, & *similia*. At hæc

omnia ita tractari præcipimus, ut non, *Criticorum* more in *laude & censura* tempus teratur; sed *planè historicè* res ipsæ narrentur, *judicium parcius interponatur*.

De *Modo* autem huiusmodi *Historiæ* conscribendæ, illud in primis monemus, ut *materia & copia ejus*, non tantum ab *Historiis & Criticis* petatur, verum etiam per *singulas annorum Centurias*, aut etiam *minora intervalla*, seriatim, (ab *ultima Antiquitate factò principio*) *libri præcipui*, qui eo temporis spatio conscripti sunt, in *consilium* adhibeantur; ut ex eorum non *perfectiõne*, (id enim *infinitem quiddam esset*) sed *de gustatione & observatione Argumenti*, *Styli*, *Methodi*, *Genius illius temporis literarius*, veluti *incantatione* quadam, à *mortuis* evocetur.

Quod ad *Uiam* attinet, hæc eo spectant; non ut *honor Literarum*, & *pompa*, per tot *circumfusas imagines* celebretur; nec quis, pro *flagrantissimo*, quo *litteras* prosequimur, amore, omnia quæ ad earum *statum* quoquo modo pertinent, usque ad *curiositatem* inquirere, & *scire*, & *conservare* avemus; sed præcipue ob *causam* magis *seriam*, & *gravem*: Ea est, (ut verbo dicamus) quoniam per talè, qualem descripsimus, *Narrationem*, ad *Virorum doctorem*, in *Doctrinæ usu & administratione*, *prudentiam & solertiam*, *maximam accessionem* fieri posse existimamus; & *rerum intellectualium*, non minus quam *Civilium motus*, & *perurbationes*, *vitiæque & virtutes*, *notari posse*, & *Regimen inde optimum educi & institui*. Neque enim *B. Augustini*, aut *B. Ambrosii opera*, ad *prudentiam Episcopi*, aut *Theologi*, tantum *facere posse* putamus, quantum si *Ecclesiastica Historia* diligenter inspicatur, & *revolvatur*. Quod & *Viris doctis ex Historia Literarum* obventurum non dubitamus. *Casum enim omnino recipit*, & *remeritati exponitur*, quod *exemplis & memoria rerum* non fulcitur. Atque de *Historia Literaria* hæc dicta sint.

## CAP. V.

De *Dignitate*, & *Difficultate Historiæ Civilis*.

**S**equitur *Historia Civilis* specialis, cujus dignitas atque auctoritas, inter scripta humana eminent. Hujus enim fidei, exempla *Majorum*, vicissitudines rerum, fundamenta *Prudentiæ Civilis*, hominum denique *nomen & fama*, commissa sunt. Ad *dignitatem rei* accedit *difficultas* non minor. *Etenim animum in scribendo ad præterita retrahere*, & *veluti antiquum facere*; *temporum motus*, *Personarum characteres*, *Consiliorum trepidationes*; *Actionum* (tanquam *aquarum*) *ductus*, *Prætextuum interiora*, *Imperti Arcana*, cum *diligentia scrutari*, cum *fide & libertate referre*, denique *verborum lumine sub oculos ponere*, *magnitudoque laboris est*, & *judicii*, præsertim cum *antiquiora* quæque *incerta*, *recentiora periculo obnoxia* reperiantur. *Quam orbem & plurima Historiam* itæm *Civilem* *circumstant vitia*: dum plerique *narrationes* quasdam *inopes*, & *plebeias*, & *plane dedecora* *historiarum conscribant*; alii *particulares relationes*, & *Commentarios* opera *festinata & textu inæquali* conscribant; alii *capita tantum rerum gestarum* percurrant, alii *contra*, *minima quæque*, & *ad summas actionum nihil facientia*, *persequantur*, nonnulli, *nimia erga ingenia propria indulgentia*,